

1/92

IDIBVS APRILIIS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Anno 1992° imprimis in Hispania res extraordinariae agun-
tur: Barcelona ludi Olympici celebrabuntur, Hispali (Se-
villa) expositio universalis mundi visitari poterit, Madrid
electa est 'urbs culturalis Europae'.

Causa illarum celebrationum est eventus, quo ante 500 annos
mundus valde mutatus est: Adventus Christophori Columbi
(Cristóbal Colón) in illam continentem, quam Columbus
Indiam esse falso putavit et quae antea hominibus Europae
omnino ignota fuit: America, cui postea nomen quidem non ex
Columbo (illius nomen terra 'Columbia' momorat), sed ex
Amerigo Vespucci, nauta Italiano, qui primus intellexit
novam terram esse continentem, datum est.

Errore suo Columbus homines indígenas novarum terrarum
'indios' appellavit.

Hic eventus Europaeis, imprimis Hispanis, multas divitias
et possessionem ingentium terrarum novarum attulit; indige-
nis quidem maxima ex parte fatalis et funestus fuit hic
conventus, ut dicitur, qui 'expugnatio', occupatio violenta
expilatioque appellari potius dignus est. Indigenae Europae-
os advenientes benevole, comiter hospitaliterque recepe-
runt. Quin etiam deos, a quibus visitarentur, illos putave-
runt, quia numquam antea homines colore cutis claro,
talibus vestimentis indutos, telis igniferis armatos vid-
erant. Contra advenientes Hispanici sane quidem saepissime
non deorum modo se gesserunt. Indigenis arrogantia, vi,
superbia, sine verecundia eorum morum consuetudinumque
occurrerunt. Quin etiam nonnulli Europaeorum re vera deli-
berabant, num illi 'feri' omnino homines essent consideran-
di.

Quae postea acta sunt, non aliter quam excidio culturae
indigenarum, genocidium exspoliatioque nominari potest.
'Conquistadores' benignitate simplicitateque indigenarum
abusi eosque fraudantes impudicissime copias auri maximas
in Europam abstulerunt. Terras indigenarum occupaverunt et

dominis legitimis eripuerunt. Indigenas durissime pro se laborare in metallis vel campis coegerunt. Cum morbis ab Europaeis allatis indigenae conficerentur, conquistadores sceleri primo novum scelus adiecerunt: Ex Africa homines negros captaverunt et servos in Americam transportaverunt. Missionares quoque venerunt, inter eos nonnulli, qui re vera indigenas curarent (velut Pater Bartolomé de Las Casas (1474 - 1566), monachus dominicanus Hispanicus, ex anno 1543° episcopus), multi autem, qui nihil aliud agerent nisi omnibus modis sine verecundia alienorum morum fidem christianam (vel potius catholicam) divulgare. Cum isti fanatici saevirent, qui omnia, quae eorum dogmatibus non conveniebant, exstinguenda existimabant, indigenae nihil aliud restabat nisi aut converti aut haeretici interfici. Re vera saepe potius scelera vel missiones commissae sunt. Indigenis enim propriae consuetudines et religiones fuerunt. Cur ab istis superbis Europaeis converterentur? Cur deos suos dimitterent? Cur dei indigenarum peiores essent quam religio catholica vel christiana? Cur cultura Europaea melior esset quam 'indiana'? Quo iure Europaei se suasque consuetudines tam superiores duxerunt?

Usque ad nostra tempora terrae Americae Meridianae et Mediae patiuntur eventūs illius 'conventūs' abhinc 500 annos. Certe, dominatione Europaea liberati sunt, sed postea a Foederatis Americae septentrionalis Civitatibus opprimuntur, quarum gubernatores multa de iuribus hominis loqui scilicet solent et custodes eorum se iactant. Multo maiore studio quidem hoc faciunt apud alienas nationes quam apud se ipsos! Simon Bolivar, qui pro libertate civitatum Latinoamericanarum pugnavit, apte dixisse fertur: "Deus videtur Foederatas Americanae Septentrionalis Civitates destinavisse Latinoamericanam nomine libertatis in miseriam deicere."

Quid ergo est agendum? Non nego hunc eventum, qui et Europaeis et indigenis Americae tantos exitūs et novitates attulit, dignum esse, ut reminiscamur eius. Sed inter celebrationes meritas quoque ne obliviscamur ceterorum facinorum, quae acta sunt. Hispalem (Sevilla) multi homines ex toto mundo convenient. Forsitan sit occasio ad conventum in pace et tolerantia hominum diversarum gentium, ad 'conventum', qui illo verbo re vera dignus sit.

Praeterea memores simus nos, qui civilisatione immersi rerum natura abalienati sumus, nonnumquam quaedam ad rerum naturae usum pertinentia discere posse ab indigenis Americae, quorum sodalitas cum rerum naturā profundior est quam nostra.

Valete!


Daniel Weissmann



De feriis in Tenerifa insula actis

Tenerifa vel Tenerife, ut habitantes illius insulae scribunt, una est Canarium insularum, quae sunt sitae in Oceano Atlantico, prope Africam septentrionalem et ad occasum solis vergentes. Aliquot saeculis ante putabantur id esse, quod Graeci et Romani antiqui nomine "Atlantis" esse credebant. Hodie autem iudicant docti Atlantem fuisse aut insulam postea Oceano submersam aut potius nomen mere poëticum fuisse, re vera autem exstitisse numquam.

Nos, uxor mea egoque, per quindecim dies mensis Februarii ferias in Tenerifa insula egimus, postquam aliquot annis ante iam in alia insula Canari, nomine "Gran Canaria" feriis gavisi sumus, quae insula nobis multo plus placuerat, cum ripae placidae illic exsistant, multa harena ad corpora in mari abluenda invitante.

At Tenerifa insula, cuius circuitus est centum et sexaginta fere milium metrorum, valde montuosa est et, cum mons altissimus nomine "Pico del Teide" olim flammam et saxa liquefacta eructavisset, etiam nunc terra ubique plena est massa sulphurea (Lava) paulumque praebet facultatis in mari natandi.

Nihilominus Tenerifa est insula visu digna, quamvis iterum illuc proficisci libenter renuntiem. Miror tot hospites, Britannos imprimis Gallosque, sed etiam Francos et Italos, illuc venisse ferias acturos. Quid me attinet, domi manere et ferias ad lacum Turicensem agere malo.

Ab nono usque ad diem sextum et decimum autocinetum conduximus, quo omnem insulam circumvecti sumus, centum et sexaginta milia metrorum fere. Ultima pars viae, id est a vico "Buenavista" ad vicum "Santiago del Teide" (Santiago nostro sermone est 'Sankt Jakob') erat horribilis. Namque perangusta via et per altissimos saltus unam horam et mediam nobis erat vehendum, inter rupes praeruptissimas, cum ego propter metum praecipitandi paene mortuus sim, praesertim in aliquo curvamine, cum autocinetum magnum (Autobus) nobis obviam veniret. Nihilo setius insulam circumvehi operae pretium erat (lohnte sich), nam in urbe nomine "Puerto de la cruz", quae est sita in litore septentrionali, hortus herbarius (botanischer Garten) visitari potest, in quo poteramus videre arbores, herbas, plantas locorum calidiorum plurimas pulcherrimasque, quae imprimis uxorem meam summa admiratione afficiebant, cum ego potius vas cerevisiae appeterem.

Non procul ab illo horto nemus est, quod, ut homines experti nobis dixerunt, maximam collectionem psittacorum totius orbis terrarum continet. Illos psittacos omnes spectare nostra minus intererat, satis habuimus aliquot photographa emere, ut postea, domum et Turicum reversi, Antonio, amico nostro, monstrare possemus, ut qui psittacorum sit videndorum cupidissimus. Alia animalia, dico delphinos ibi videre multo plus nobis erat curae: in "Delphinario", quod vocatur, quinque circiter delphinos vidimus condocefatos (dressiert), qui mira arte sollertiaque vel quinque metra in altum saltaverunt, quin etiam per trochum (Reif) in alto pendentem. Postea autem piscinam tam celeriter tranataverunt, ut aestimarem eorum velocitatem fuisse sexaginta milium passuum in horas (90 Km. pro Stunde), at fortasse nimium velocitatis tribuebam.

Sed ut illas res omnes praetermittam, litus septentrionale in summa (überhaupt) dignius visu est quam litus meridiano, herbarum incrementis (Pflanzenwachstum) multo divitius.

Aedes, quas per quindecim dies habitabamus, sitae erant in via, quae appellatur "Costa del silencio", non procul ab oppido, cuius nomen est "Las Galletas". Nostra habitatio erat in primo tabulato unius ex quattuor aedificiis longis, quae rectis angulis (rechtwinklig) aream (Hof) circumstant. In illa area piscinae sunt tres, in quibus, cum sol interdiu semper calidus esset, cottidie natabamus, cum maris aqua deficiente harena ad natandum minime invitaret. Saepe sermones habebamus, vesperi imprimis, cum ceteris hospitibus illorum aedificiorum, cumque plurimi Britannii essent, occasione Britannice loquendi fruebamur. Sub vespere autem ibamus emptum in tabernas mercatorias, ibique videlicet Hispanice imprimis loquendum erat, ita ut scientiam nostram linguae Hispanicae amplificare possemus, namque homines in Tenerifa insula domos possidentes nimirum lingua Hispanica utuntur. Ego cottidie vesperi in habitatione nostra linguae Hispanicae studebam indice verborum adiuvante, cumque iam antea per multos annos huic linguae studissem, iam satis bene Hispanice loquebar, ita ut saepe homines Hispani me loqui audientes scientiam meam linguae suae valde laudarent, sed ego incredulus eram, non ignorans Hispanos ad laudandum et ad blandiendum semper promptos esse.

Nos, uxor mea et ego, cottidie mane in habitatione nostra ientabamus, vesperi autem in taberna quadam vicina cibum vespertinum sumebamus. Post cibum autem intrabamus cauponam Britannicam, ubi caupo, vir vere Britannicus, libenter et bene cantabat modulos (Melodien) omnibus nostrum notos. Praeterea hospites ibi erant omnes amabilissimi et nobiscum Britannice, id est lingua sua, saepe loquebantur. Quae iucunda occasio Britannicam linguam exercendi gratissima nobis erat, ita ut cottidie post cibum vespertinum in illam tabernam alliceremur.


Narrare cupio etiam de nave submarina (Unterseeboot), qua aliquando ante meridiem viginti metra sub aequor maris vecti sumus. Constabat nobis pretio magno, nam octo milia "pesetarum", id est centum et viginti franci Helvetii, nobis erant solvendi, ut nobis navem submarinam intrare liceret. Atqui quae illic sub aequor videre poteramus, pretium non valebat: Parvos pisces, quales iam pridem in aqua videramus, exceptis illis piscibus, qui nostra lingua

"Mantelrochen" appellantur quosque tum primum vidimus, sed ne illi quidem admirationem nostram moverunt. Ego semper speraveram me tandem aliquando pristis (Haie) videre posse, at etiam tum fieri non potuit, nam pristis, ut homines illic experti dicunt, orae numquam appropinquare solent, sed procul manent in mari alto.

Die vicesimo et tertio mensis Februarii aeroplanum conscendimus Turicum, domum nostram Helveticam, petituri. In sella, proxima meae, aeroplani virgo satis pulchra conседit, et mox animadverti eam aliud post aliud vas vini mandere et bibere, atqui ebriam non fieri, quod mirabar. Quin etiam amabiliter me adiuvit cingulam (Gurt) meam destinare (anschnallen), cum ei manifestum esset me laevum esse ad id conficiendum.

In aëroportu (Zürich-Kloten) ex aeroplano descendentes valde mirabamur frigus hibernum, postquam in Tenerifa semper sole aestivo usi sumus.

Emanuel Bernard



Facete lepideque dicta ecclesiastica

Multi, cum se in synodum annuam dioecesanam congregassent, sacerdotes querebantur, quod non invenirent ministram, quae sibi res domesticas curaret. Ad quae quidam e praesentibus: "Id fit, quod vocabulum ministrae plerisque parum attractivum esse videtur. Propono, ut ministras abhinc 'caelibatissas' vocemus!"

Annis praeteritis parochi Grisoniae Tyroliaeque Meridianae haud raro non pastores animarum solum erant, sed etiam caupones. Tunc temporis die quodam parochus absente iuvenis puellaque vici deversorium adierunt ministra nesciente, utrum par matrimoniale essent an non. Qua de causa parochum domum regressum valde excitata adfata est verbis his: "Nescio, domine reverendissime, utrum his duobus conclave duorum lectorum dem an duo conclavia unius lecti." Tum parochus: "Quales cibos sibi ferri iusserunt?" - "Pisces." - "Bene res ergo se habet: Si vir ipse maiorem piscem sumet, scito eos par matrimoniale esse!"

Relatus annus missionarii cuiusdam Boliviani: "Quinquaginta infantes baptizavi, viginti sex liberos ad primam communionem adduxi, septendecim homines morientes adiuvi...et omnes oppidi francomurarios taeniludio (Tennis) superavi!"

Tota vestibus nigris induta mulier quaedam suspirans "Domine parochus", inquit, "nonne poteris canem meum sepelire?" Tunc parochus ira exardescens: "Quid cogitas? Canes non sepelio!" - "Quantum dolorem! Quingentos ergo francos Helveticos pastori evangelico tradam." - "Oh, domina optima, noli festinare! Cur non dixisti canem tuum catholicum esse?"

Iesuita olim ad cenam invitatus erat a parochus. Ministra (sive 'caelibatissa!') cum duos gallos bene assatos afferret, parochus telephonice vocatus est ad sacramenta homini morienti ultima largienda. Qui hospiti "Noli", inquit, "exspectare, donec revertar. Iam edere incipe!" Iesuita ergo gallum sibi destinatum devorat et, quod parochus semper abest, tandem secundum etiam. Bene satiatus foris cigarulum fumans ambulat. Eodem temporis momento, quo parochus revertitur, gallus glorians clamat. Iusuita: "Quam superbus gallus tibi est et quam bellus, domine parochus!" Ad quae parochus aegre ferens: "O, iste habet causam gloriandi: Duo enim filii eius apud Iesuitas sunt!"

Num scitis, quales preces fundat Ioannulus parvulus vespertinas? Sic orat: "Bone Deus, fac, ut soror mea sanetur. Morbillis (Masern) laborat. Sed cave, ne nimis appropinques!"

Adfatur vir quidam parochum vehementer verbis his: "Noli mirari, quod pauci tantum ecclesiam adeunt. Scelesti enim vos ecclesiastici nos laicos tractatis!" - "Cur autem talia dicis? Non intellego, cuius rei mentionem facias." - "O, cum primum ecclesiam adirem, aqua in faciem meam aspersa est. Secunda vice, id est occasione confirmationis meae data, alapa tractatus sum. Tertia autem vice uxor mihi imposita est. Satis superque! Ecclesiam non iam intrabo!" Tunc parochus: "Pessima nondum acta sunt: Quarta enim vice humum in te iactabo!"

* * * * *

Missionarius vetus apud anthropophagos versans vitam pedi ligneo debet. Nam cum iter faciens a natione vicina anthropophagorum caperetur et videret indigenas epulas sapidissimas praeparantes, dolum adhibuit hunc: Cultro de pede sinistro, qui ligneus erat, particulam absecuit et nationis principi porrexit dicens: "Antequam me coquas, gusta, utrum commedibilis sim necne." Princeps cum diu gustasset, exspuit clamans: "Vir albus nullo modo commedibilis!"

Irenula parva a parochus interrogatur, num sciat, cur vinum apud nuptias Canenses exhaustum sit. Irenula: "Certe scio! Quod Iesus discipulos suos attulerat."


Renatus parvus matri: "Panem cottidianum nobis Deus dat, infantes ciconia affert, sed quam ad rem pater necessarius est?"

Institutione ac ritu antiquo formatus sacerdos pari nuptiali bibliam sacram dono dat. Nonnullis diebus post Monicam parvam, sororem sponsae, interrogat: "Scin, quid contineat biblia sacra?" - "Certe scio: Continet sororis meae nuptiarum photographema, praeceptum lomenti faciendi matris meae atque schedulam garantiae horologii patris mei."

Annula parva confitetur verbis his: "Impie oravi, carmina sacra sibilavi, affirmavi dominum Meier magistrum asinum esse..., sed, domine parochus, ille re vera asinus est!"

Mira interdum et abstrusa papae offeruntur. Pius olim papa duodecimus cum viro quodam Americano colloquium habuit. Papae secretarius certo spatio intermisso post illos per hortos Vaticanos ambulavit ita, ut colloquium totum non intellegeret, sed quasdam colloqui partes. Tunc ex improvviso Americanum vociferantem audivit: "Quinquaginta milia dollariorum!" Papa subridens abnuat. Colloquio continuato Americanus: "Centum milia dollariorum!" Iterum papa caput abnuens concussit. Tandem Americanus: "Unam milionem dollariorum!" Attamen papa non consentire videbatur. Americano disgresso secretarius non retineri potuit, quin interrogaret: "Sancte pater, forte audivi, quantam pecuniae summam ille tibi obtulisset. Cur non accepisti? Tantum boni facere potuissemus!" - "Hoc verum est, mi fili", papa respondit, "sed scisne, quid Americanus me facere voluit? Voluit unumquemque orbis terrarum sacerdotem sancta missa finita pro 'Ite, missa est!' dicere: 'Bibite Cocam-Colam!'"

Martin Meier



Schola Magistra vitae II

(Quaelibet sive personarum sive locorum sive temporum designatio fortuita habenda est).

Quid causae esset, cur Maria Bolognesi, collegiis ad praeceptorum iura tutanda eorumque familiarem rem augendam praepositis opera per tot annos impigre data, mediae scholae praesidis gradum dignitatemque adipisci voluisset, frustra iam diu permulti secum in urbe quaerere solebant. Hoc vero coniectura assequi posse videtur, quod collegis complura detrimenta attulerit haud satis habentem, pueris quoque eorumque parentibus inreparabilia audacem feminam

damna comparare in animo habuisse. Eruditionem eius medio-
crem, vel potius exiguam, diceres; in dictionibus ordinan-
dis construendisque plerumque satis negotii inveniebat; rec-
ta pronomina quae dicuntur relativa adhibendi ratio obscura
ei videbatur quaestio, quam iam multos annos nequiquam
solvere niteretur. Nullum autem novum erat ad educandi
artem pertinens inventum cupiditate cuius et studio non
flagraret: quo delirior atque ineptior doctrina videbatur,
eo ferventius atque instantius assumenda ab ipsa commenda-
batur. Nuperrime animo eius insania quaedam incesserat:
elementorum enim, quibus discipulos imbuturi erant ante
tempus formam praeceptoribus describendam esse assidue
dictitabat. Per multa saecula, cum edocendi artis rudes
atque imperiti essent, incerte atque inepte munus suum
magistros tractavisse: in posterum vero, si tali se ratione
gerere perrexissent, reprehensioni id ipsis profecto tribu-
tum iri. Quicquid ergo docturi, suasuri, traditurive es-
sent, hunc ordinem sequerentur: quod intra breve, intra
medium, intra longum temporis intervallum consequi stude-
rent, id accurata expositione quinta quaque hebdomade
providendo illustrarent. Hic vero iure opposuerit quispiam:
"Cur non et quod intra brevissimum et intra longissimum?"
Frustra quidem: dogmata, non explanationes rationi consen-
taneae, sunt. Huc accedebat quod, quibuscumque disciplina-
rum elementis discipulos erudituri erant, ita praeceptoribus
ea describenda erant, ut et ubi et quando et qua re et
quo modo eiusmodi institutio tractanda esset, omnibus
planum ac manifestum fieret. Quicquid vero ab ista regula
aberrabat, sine misericordia ignominia notabatur, adeo, ut
et studiorum ratio iterum exponenda et tabellae, quae in
praeceptorum conventibus acta essent referentes iterum
perscribendae, et conventus ipsi de integro advocandi
essent. Tam nova ac rationi repugnantia iussa aegre mole-
steque, ut par est, omnes fere scholae illius magistri
ferebant: nemo quin cum insana et amenti femina res sibi
esse dubitabat, nemo autem, quae sentiebat, palam fateri
audebat: alium enim collegam seditionem conflaturum ac
reclamandi initium facturum cuncti sperabant; puer vero, de
quo in fabulis agitur, qui regem nudum esse unus perspice-
ret omnibusque planum faceret, eheu, ibi non erat.
Forte fortuna evenit, ut quaedam Italicarum litterarum

iuvenis magistra, compluribus tabellis iterum perscriptis
conventibusque rursus advocatis ira exacerbata atque effe-
rata, compos sui esse desineret. Pueris enim hoc persuadere
nisa est, intra breve ipsis spatium in scholam tintinnabulo
tinniente introeundum, intra medium scalas ne alium alius
secum praecipitem deieceret cavendo tardo gradu scandendas,
intra longum in auditorium nullo srepitu intrandum et in
subselliis assidendum: quae omnia congruentia et consenta-
nea videbantur, nemo autem cur tam insulse ac ridicule
praeciperentur animo concipere valebat. Quodam vero die,
puero ut sibi ex auditorio exire liceret officiose petenti
chartam stilo ex aliqua parte exaratam porrexit: "Quo
iturus sis", inquit, "publice rogaris; responde: in latri-
nam. Quando id facere soleas, item e te cognoscere volunt;
scribe: Cum alvi exonerandi desiderio premor. Qua re id
agere cogaris tibi significandum est, libere fatere: Quia
stercus urgens iam intus retinere non possum; nec satis
est, quo modo quoque istud ministerium expleas e te
quaeritur: Bracis - scribe - me ipse exuo et super lineam
tabulam, si est, assido; si minus, genua modo flecto."
Cuius fama rei opinione celerius per urbem percrebuit:
rumores maligni ac lividuli quavis ratione extinguendi
erant. Misellae atque improvidae magistrae, ut nonnihil
temporis in valetudinario consumeret delicate atque urbane
a collegis persuasum est. Sunt qui praesidem eiusmodi fere
vocem edentem se iure iurando audivisse confirmant: "Perin-
commode accidit, quod magistra Galli, rectam edocendi viam
nuper ingressa, officium suum parumper deserere coacta
est!"

Orestes Carbonero



Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

Non scitur
(Nobody knows)

Verba repetenda:
Dm Gm Dm Am Dm Gm

Trans - i - te a - quam, trans - i - te
Dm A Dm Gm Dm
a - quam pu - e - ri, trans - i - te a - quam!
B7 Dm A Dm
De - us mo - tu - rus est a - quam
Dm G
1. Ec - ce ma - nus de - al - ba - ta —! De - us mo -
Dm A Dm
tu - rus est a - quam. 1. He - brae - is haec est as -
B7 Dm A Dm
si - mi - la - ta. De - us mo - tu - rus est a - quam.

2. Per vias ire vides me,
domine!
Sors mala numquam fugit me,
domine!
3. Est hora menti tradita,
domine,
qua mi dempsisti scelera,
domine!

Versio Latina: Martin Meier

Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

Transite aquam
(Wade in the water)

Verba repetenda:
F

Non sci - tur, quid ac - ci - der - it me,
B C F A
non quis - quam scit ni Ie - sus. Non sci - tur, quid ac -
Dm7 Am C7 F B F
ci - der - it me. Glo - ria, hal - le - lu - ia!
F
1. Ex - ul - to mox, mox cru - ci - or,
C F
do - mi - ne! Mox cu - ris pla - ne
F C7 F
op - prim - or, do - mi - ne!

2. Ecce manus derubrata
- Deus moturus est aquam -
par huic, quae est a Moyse gubernata.
- Deus moturus est aquam.

Versio Latina: Martin Meier

Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

Qualem, Deus, diem
(My Lord, what a morning)

Verba repetenda

Qua - lem, De - us, di - em, qua - lem, De - us, di - em, qua - lem De - us di - em stel - lis oc - ci - den - ti - bus stel - lis oc - ci - den - ti - bus

1. Et - bus
2. Sce -
3. Fi -

1. tu - bae son - i - tant,
2. les - ti cla - mi - tant, de - func - tos
3. de - les can - ti - tant,

i - ta ex - ci - tant Do - mi - ni ad dex - te - ram, stel - lis oc - ci - den - ti - bus.

Verba repetenda

Aenigma


QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **KALENDIS IVNIIS EST!** SOLVTIONES IN VNO PROXIMORVM LIBELLORVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

1	2	3	4	5	6	7
2						
3						
4						
5						
6						
7						

1. indicium maeroris vel gaudii
2. venustas vel formosas
3. se miscebant vel conueniebant
4. nomen feminarum
5. piguit, stomachum fecit
6. servi
7. adestis vel opitulamini

Daniel Weissmann



SOLUTIONES

Ecce solutiones parvorum aenigmatum libellorum 3/91, 4/91, 5+6/91.

¹ A	² C	³ U	⁴ L	⁵ A	⁶ M
² C	O	N	A	T	A
³ U	N	G	E	R	E
⁴ L	A	E	D	A	R
⁵ A	T	R	A	T	O
⁶ M	A	E	R	O	R

¹ E	² V	³ A	⁴ M
² V	E	R	E
³ A	R	C	I
⁴ M	E	I	S

¹ P	² U	³ R	⁴ A
² U	R	O	S
³ R	O	R	I
⁴ A	S	I	A

¹ M	² A	³ R	⁴ I	⁵ A
² A	G	E	R	E
³ R	E	G	A	T
⁴ I	R	A	T	A
⁵ A	E	T	A	S

F E R I A E L A T I N A E
N I C E N S E S S E X T A E
C E L E B R A B V N T V R

a Martis die 18^o mensis Augusti 1992 hora 18^a
ad Martis diem 25^m mens. Augusti 1992 hora 14^a

in

AEDIBVS SEMINARII DIOECESIS NICENSIS

"LA MAISON DU SEMINAIRE"
29, boulevard Franck Pilatte
F-06300 NICE (Francogallia)


INVITANTVR

cuiuscumque muneris vel aetatis homines qui
linguam Latinam amant atque eam esse vivam
audiendo loquendoque experiri cupiunt.

Schedae inscriptionis petantur a

Clemente DESESSARD
Résidence des Collines, C.9.
500, rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU (Francogallia)
Tel. 93 49 01 91 vel 93 08 67 93

et ad eundem remittantur !



NICAEA :
PORTUS LYMPIA

Seminaria «*Latinitatis vivae*»

anno 1992^o futuro

Morsacense et Vaverense (Belgicum)

53. Morsacī [Morschach] in Helvētiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

26.7.-1.8.1992.

54. Vaverense [Wavre] in Belgica, qui locus ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest, ubi praeter satis spatiosum oecum institutorium multae commoditates exhibentur.

7.8.-14.8.1992.

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973^o intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroases qualitatis variae fiunt. Sed in nostris his seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix ita fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris vere Latini, ut et pronuntiatus vere Latinus proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque Latine loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973^o talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset Latinitatis omnium aetatum vere peritus.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 120 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (*pecunia pro pernoctatione et victu in deversorio solvenda est*):

VOX LATINA

18353-661

Postgiroamt Saarbrücken

BLZ 59010066 (BR Deutschland)

Morsacensē seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Ericam Roth

Aeschistr. 6

CH-3110 Münsingen

(numerus telephonicus:

031/721 0823)

Vaverensē seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonicā adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe

Avenue de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles 4

(numerus telephonicus:

(02) 735 04 08)

SOCIETAS LATINA

Europäische Lateinwochen e.V. Frankfurt am Main (Germania)

European Language Institute (ELI), Recanati (Italia)

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

Quarta Septimana

Latina Amoeneburgensis

moderatores: Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

quando?: a die 26^o mensis Iulii usque ad diem 1^{um} mensis Augusti anno 1992^o

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-W-3572 Amöneburg (Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 300.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum erit 30), 110.- DM pro institutione (includitur pretium pro duabus cenis Romanis et pro excursionem)

Inscriptiones ad hanc *Septimanam Latinam* petuntur usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad:

Robert Maier

Dresdener Straße 10

D-W-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad quartam *Septimanam Latinam Amoeneburgensem* invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimendas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam res coquinarias Romanas colemus, ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Robert Maier, tel. (0049)-6103-71652

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

Schedula inscriptionis ad quartam Septimanam Latinam Amoeneburgensem

Quarta *Septimana Latina Amoeneburgensis* incipiet die 26^o mensis Iulii hora 18^a et finem habebit die 1^o mensis Augusti a. MXMII hora 14^a. Institutur in domo "Johannes-Haus", Am Johannes 1, D-W-3572 Amöneburg. Pretium pro institutione (110.- DM) post affirmationem inscriptionis acceptam ad hunc locum argentarium assignetur:

Europäische Latinwochen e.V.
Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-W-6070 Langen
c.c.p. nr. 330130-607 (Postgiroamt Frankfurt, 50010060)

Una cum affirmatione inscriptionis Tibi etiam ampliores informationes de itinere deque loco et programma *Septimanae Latinae* mittemus.

Partem inferiorem mitte quaesumus ad:

Robert Maier, Dresdener Str. 10, D-W-6070 Langen

vel ad

Mechtild Hofmann, An den Drei Brunnen 13, D-W-6000 Frankfurt 50

Insimul me quartae *Septimanae Latinae Amoeneburgensi* inde a die 26^o mensis Iulii usque ad diem 1^{um} mensis Augusti a. MXMII^o in domo "Johannes-Haus", Am Johannes 1, D-W-3572 Amöneburg, futurae inscribo. Pretium institutionis (110.- DM) post affirmationem participationis acceptam ad locum argentarium supra scriptum assignabo.

In domo "Johannes-Haus" habitabo non habitabo

Pretium pro victu et habitatione (300.- DM in camera duorum lectorum; 330.- DM in camera unius lecti) in domo "Johannes-Haus" post adventum moderatoribus solvetur.

Datum et subsignatio (si quis 18^{um} annum nondum compleverit, parentes subsignent)

Nomen et inscriptio cursualis: _____

Tel: _____

Aetas: _____ Quot annos linguam Latinam didicisti? _____

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6	7	

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

AZB

8050 Zürich

1/92

IDIBVS APRILIIS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

TOMVS 15

FASC. 92